



1896/

DE
**INTERNA SUPPURATIONE,
VULNERUM ET ULCERUM
MAJORUM PERNICIOSA
COMITE.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XIX. M. MARTII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.
PUBLICAE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROLUS BOEGER
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
FR. BOEGER, MED. ET CHIR. DR.
GUIL. ROST, MED. ET CHIR. DR.
FERD. DALMER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.


V I R O

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO

F. A. SCHULZ,

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, INSTITUTI RE-
GII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUIELMIANI DIRE-
CTORI SECUNDO, EXERCITUS BORUSSICI MEDICORUM
MEDICO PRAEFECTO, ORDINIS DE CRUCE FERREA IN
SECUNDA, DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE
EQUITI ETC. ETC. ETC.**

**PRAEPOSITO OPTIME DE SE MERITO,
DILECTISSIMO**



HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

VERO ANIMI CULTU

D. D. D.

AUCTOR.

Jam a permultis et antiquioris temporis medicis de magno periculo dissertum est, quod ex vulneribus aegro minitaretur, si puris depositio, metastasis, ut vocant, exoriretur ad internas partes. — Omnes de periculo consentiunt, valde tamen differunt de causis hujus phaenomeni et ratione qua oriatur. *Le Dran* (1), qui inter alios amplius hac de re loquitur, pus resorberi opinatur venis, indeque in circulationem transgressum in pulmonibus, sive hepate deponi; antecedere ejusmodi depositiones irregulares frigoris insultus, quos vehementes febris paroxysmi exciperent, qui brevi intermissionis tempore, usque ad mortem repeterentur. Huic sententiae, quod ad resorptionem per venas pertinet complures recentiorum accedunt, inter quos praesertim *Ribes*, *Velpeau* et *Maréchal* nominandi sunt — *Dance* (2) primus causam huius phaeno-

(1) Plaies d'armes à feu.

(2) Dance über Venenentzündung a. d. Engl. v. Himly.

meni in inflammatione posuit venarum in suppurantibus locis sitarum, ita quidem ut pus ex interna venarum superficie secretum, sanguini immistum ad varia organa mittatur. — Hanc sententiam praeter ceteris *Blandin* et *Cruveilhier* defendunt. — *Cruveilhier* (1) praesertim de puris depositionibus in hepate et pulmonibus per multa disseruit, systema vasorum capillarium in auxilium vocans et phlebitidi summas fere in tota pathologia partes tribuens.

Qui pus ex vulneribus resorberi contendunt, hoc ex discissis nec conclusis venis, earumque resorbendi vi demonstrant. — Quod tamen ad prius horum argumentorum pertinet, non tantum post amputationes ejusmodi puris accumulationes observantur, sed etiam post exulcerationes internis causis exortas, ubi venae non correptae sunt. — Quod ad aliam de phlebitide pertinet sententiam, venae quidem saepe inflammatae sunt, praesertim post amputationem, tamen non intelligi potest, qua ratione immutatum per eas ducatur pus, praesertim cum et venaesectionibus in his casibus institutis, sanguis non mutatus reperiatur; et praeterea exstant exempla ubi etiam post amputationem venarum inflammatio, si haecce intraverant phaenomena, non observata sit. Cur praeterea, et hoc argumentum ad utramque sententiam refero, in singulis semper organis tantum ejusmodi mutationes reperiuntur, et plerumque a parte affecta remotissimis; etsi enim et aliis locis sic dictae metastases occurrunt, ple-

rumque tamen in pulmonibus et hepate observantur; cur non proxime adjacentes partes occupant? Forsan anatomica disquisitio hasce tenebras magis dissipabit, tamen ex pathologia jam nunc nonnulla desumenda videntur de hac re. — Non amplius hic loquar de noxiis externis, quae in aegrum vulnere aut ulcere majori affectum agentes illa provocant phaenomena, ut refrigerium, animi affectus, diaeta inepta, repentina suppressio magnae puris secretionis ex ulceribus cachecticis, ob quae amputatio exempli causa facta est; sunt enim observatae ejusmodi sic dictae metastases et in aegris, qui ab omnibus illis noxiis remoti servabantur, et in iis, in quibus nulla habitualis, ut ita dicam, sublata erat secretio. — Sed commune aliquid habere videntur omnia illa exempla, praeter cetera symptomata, in quod nondum satis respectum est. — Semper enim phaenomena, quae puris metastasin indicant, eodem tempore intrare vidi, quo in vulnere aut ulcere eae mutationes sive praeparantur, sive modo processerunt, quibus puris ad granulationes formandas apta procedere possit secretio, ubi simul et febris exoritur symptomata, traumatica, et sive pyogenetica, quae et in aliis organis praesertim circulationis et respirationis provocare potest inflammationem, quae cum adsit dispositio ad pus formandum hic facilius in suppurationem transeat, imprimis ubi sive ingenti vulnere ambitu, sive nisu removendarum massarum, quae vulnus tegunt aut ulcus, alienarum, sphaceli, necrosis, aliorum, ipsa sit vehementissima. Ideoque non vera videtur puris translocatio, sed

(1) Anatomie pathologique du corps humain II. Livraison.

inflammatio internorum organorum ex causa propria et singulari progressa et idcirco suo modo decurrens suppurationem verisimile provocat. Nervorum systema non exiguas partes hic agere forsitan haud injuste contenditur, quum in omnibus his casibus, jam valde affectum et depressum sit, ipsa inflammationis symptomata non ita procedant, ut ex iis, quae post mortem reperiuntur, opinandum esset, totaque affectio occulte, eoque tamen perniciosior decurrat, semperque, sit curatio accuratissima ad mortem perducat.

Nonnullos casus observare mihi licuit, brevi temporis spatio sibi succedentes, qui modo prolata valde probabilia reddere mihi videbantur. In omnibus pulmones et pleura erant, in quibus puris accumulatio inflammatione orta reperiebatur post mortem, quae antecedentes vehementissimos horrores secuta erat. In omnibus perniciosa illa symptomata exorta erant, quum viribus valde debilitatis, et nervorum systemate idcirco valde distento et correpto, majus naturae conamen intraret, in tribus eorum ad granulationem aptam provocandam, in alio ad necroticum os removendum; in quarto accesserunt amputatione ob fracturam complicatam eo tempore facta, quum sphacelus in ulcere fractura exorto sisteret, et ad granulationes formandas apta jam adesset secretio, ubi febris nova traumatica, ad illam ut ita dicam pyogeneticam, in corpore valde debilitato accessit; in ultimo denique observabantur, quum phlegmone brachii amputationem pollicis insequens, in suppurationem transiret et tali ratione

inflammationis extensioni respondens febris existeret vehementissima. — Hosce casus, quos diversos inter se, pro una sententia certare puto, tradendi consilium cepi, dissertationem conscripturus, non quod nova prolaturus essem, sed quod de re, hucusque valde obscura, et observationes tantum attulisse, jam operae pretium habui.

OBSERVATIO PRIMA.

T. V. operarius, viginti quatuor annos natus, cachectico habitu, qui scrophuloseos vestigia adhuc sat luculenta secum tulit, die tertio mensis Octobris anni MDCCCXXXI ob ulcera necrotico - cariota cruris dextri in nosocomio Caritatis auxilium petiit. Remedia interna et externa fortissima in malum nimis inveteratum frustra adhibita sunt. Fistulae totum crus occupantes formatae ichoris, quam excitabant secretionem virium consumptionem maximam aegroti contraxerunt. Huc accessit gangraena nosocomialis, quae non parum attulit ad ulcerum ambitum augendum et vires magis etiam debilitandas. Attamen contigit, ut gangraena tolleretur et ulcera usque ad certum quendam gradum sanarentur; perfectam cicatrizationem necrosis arcuit. Jam apta interna roboranti curatione status aegroti eo mutatus et melior redditus erat, ut necrotici ossis exfoliationem et ulceris sanationem sperasses, quum repente mense Aprili insequentis anni progressis verisimile fistulosis ulceribus venae

saphenae magnae inflammatio exoriretur, quae comitante febris cachecticum fere provocavit statum, in suppurationem transiit et exsudationem in genu articulationem effecit. Etiam hunc insultum superavit aeger. Quum tamen secretionem ex tot ulceribus nimia et prava sustentata mors certissima aegro obstaret, maxime dubia quidem prognosi die XXII mensis Julii amputatio femoris facta est. Ipsam operationem sat bene superavit aegrotus et vulnus prima deligatione desumpta pro re nata bonam praebuit speciem. Sensim sensimque suppuratio provenit, unde optima granulatio speranda erat. Die octavo ligaturae remotae. Quod ad totum aegroti statum pertinet, hicce in melius mutabatur, quiete enim dormivit aeger, omnes secretionem normalem habebant qualitatem et, quae ante operationem adfuerat fere hectici febricitatio nunc sola majori pulsus frequentia suppuratione sustentata et debilitatis gradu haud exiguo continebatur.

Die decimo quinto post operationem institutam cum antecedente die optima fuisset et vulneris et aegroti ratio, repente horror ingens aegrotum invasit, qui horae quadrantem perdurans calore et sudore excipiebatur. Pulsus parvus erat tensus et frequentissimus, lingua sicca, facies collapsa. Inter horrorem anxie spiritum duxit aegrotus, qui antea omni pectoris affectione liber fuerat; aequaliter tamen ubique movebatur thorax et molestiae horrore finito desinebant. In vulnere ipso nulla observari potuit mutatio; per noctem nonnullas horas quiete dormivit aeger (Va-

leriana cum Acido muriatico interne propinata). Sub vesperem insequentis diei inquietudine quadam antecedente denuo ejusdem modi insultus intravit, simulque de trahentibus doloribus in femore que-rebatur aegrotus et abdomine, qui sub tactu valde augebantur. Quae in vulnere secernebantur et nunc eadem erant. (Hirudines triginta ad femur et abdomen, saturatio cum aqua Laurocerasi interne). Verae intermissiones post hos insultus non intrabant, semper erat pulsus valde frequens, tensus et debilis, cutis arida et lingua sicca; memorabilis erat status inflammationis cum maxima debilitate mixtae. Tertio die denuo ejusmodi ab horrore incipiens exacerbatio febris intrabat, et ipsa cum magna pectoris oppressionem mixta, quae tamen remittente febris etiam remittebat. Nunc primum mutatio quaedam in vulnere percipiebatur. Secretum enim parcius et serosum, basis vulneris antea rubicunda nunc livida, tanquam deesset vis discernendi (Unguentum basilicum cum Tinctura Myrrhae impositum). Postridie horror iterum rediit, simul conjunctus vehementi abdominis dolore, vomitionibus, intumescencia ceterisque peritonitidis signis, ita, ut hirudines quadraginta appositae sint et interne calomel propinatum. In vulnere nullos persensit dolores aeger, tamen hoc et ambitus ejus pastosa erant et tanquam mortua, margines dissoluti, basis lividis massis, quae sphacelo oriuntur, tecta. Sequenti die collapsus maximus continua magna febricitatio et repetiti horrores, qui semper maxima respirationis

anxietate conjungebantur, Deliria intrabant blanda et signis nimiae debilitatis praevalentibus obiit aeger.

Sectio cadaveris.

Praeter magnam puris depravati accumulatio-
nem in femoris tela cellulosa et sphacelosam mu-
sculorum mortificationem vena cruralis certissima
inflammationis signa prae se tulit; interna enim ejus
superficies aspera erat, sine nitore, ipsae tunicae
incrassatae, lumen plastico exsudato impletum; haecce
erat ratio usque ad eum locum, quo vena saphena
immittitur, quod excurrerat plane integrum reperieba-
tur. Haecce inflammationis extensio plane respondebat
extensioni inflammationis telae cellulosa circumdantis.

In cavo abdominis ne vestigium quidem inflam-
mationis, neque in peritoneo neque in hepate ma-
jor sanguinis accumulatio reperiebantur. Ve-
nae normalem ubique obtulerunt structuram. Eo
majores erant mutationes in pectore, pulmo sinister,
ejus pleura, pericardium et cor ipsum non mutata.
Contra pulmonis dextri superficies maculis sangui-
nolentis obducta, quae originem duxerunt ex hy-
peraemia lobulari; ad latus et in superficie poste-
riore complures maculae ex albido griseae, in qua-
rum circuitu summum gradum ascenderat hyperaemia,
ita ut sat luculenter progressus inflammationis
et normalis origo demonstrari posset. Venae et ar-
teriae nullam mutationem subierant, pleura lateris
dextri costalis et pulmonalis plastico exsudato ob-
ducta erat et hic vasa nova reticula formantia, om-
nino varia inflammationis stadia observari potuerunt,

saccus pleurae meri puris quatuor fere uncias con-
tinuit. In cerebro nullae mutationes reperiebantur.

OBSERVATIO SECUNDA.

C. B., auriga, trigesimum annum agens, sat
firma constitutione praeditus, ob bubonem scrophu-
loso-syphiliticum lateris sinistri, antegressa urethri-
tide ortum in nosocomium Caritatis recipiebatur
(die XVIII. mensis Martii anni praeterlapsi). Quum
jam in suppurationem transiisset inflammatio, aper-
tus est bubo et ulcus inde provocatum secundum
characterem tractatum; decimo die postquam incisio
facta est antecedente febricitatione haud magna gan-
graenae nosocomialis vestigia indolis inflammatoriae
observabantur. Detractione sanguinis topica sat
magna et repetita, fomentationibus *Rustii* et reme-
diis antiphlogisticis interne adhibitis quatuor fere
dierum spatio status inflammatorius tollebatur. At-
tamen ut ipsa ulceris gangraenosa ratio, qua lente
in dies crescere et majorem ambitum acquirere so-
let, mutaretur non nisi fortissimis remediis in usum
vocatis totaque superficie putrida ferro extincta,
duabus demum hebdomadibus praeterlapsis contigit.
Quae ab initio aderat synocha gastrica et contagio
ipso et prava secretionem, indeque orta virium nimia
intentione synochi magis characterem induerat, prae-
sertim cum antea quam plane tolleretur gangraena
haemorrhagia, quae originem ex vena crurali du-
cere videbatur sanguinis copiam sat considerabilem
detraxit ita, ut et hac ratione maxime debilitaretur
aegrotus. Quum plane evanisset gangraena in ul-

ceratione, quae laxam praebuit speciem, unguentum basilicum cum tinctura myrrhae impositum, et interne roborantia et leniter excitantia propinata sunt. Insequentibus diebus res haud male processit; quae ulcere secernebantur puris meliorem indolem prae se tulerunt, margines antea dissoluti basi accreverunt. Exacerbationes febriles vespertinae quotidie quidem redire neque vires celeriter restituebantur, tamen ex antea robusta aegri constitutione optimum sperare licebat, imprimis quum nulla organorum internorum affectio comitaretur febrem.

Ex improvise die nono postquam gangraena nosocomialis plane sublata est, aeger majore conquerebatur dysphoria, quam mox ingens horror cum magna pectoris oppressione excepit; dorso incumbens aeger anxie spiritum duxit non quidem dolores in pectore accusans sed potius sensum pressionis, quem asthmate correpti percipiunt, et qui apud aegrum in congestionem sanguinis ad internas partes horrore provocata originem habere videbantur, praesertim cum remittente horrore dolor quoque evanesceret. Horrorem insequabatur calor ardens, deliriis stipatus ex quibus resuscitari potuit aeger; cutis perpaucum tantum insudavit. Ulcus, quod, ut jam dictum, ex compluribus diebus pro re nata optime se habuerat et modo granulationes proferre incepit aliam nunc praebuit speciem. Quae secrevit parca et magis serosa facta sunt, basis lurida et praesertim eo loco, quo vasa decurrunt majora livida et punctulis eruentis oblecta. Quum hoc, liceat sic vocari, paroxysmo finito magna remaneret

irritatio pulsu et congestionibus versus caput expressa, ad internum usum accepit aeger Kali tartaricum cum Aqua Laurocerasi; ulceri, ut alteretur secretio Hydrargyrum praecipitatum rubrum inspergebatur, sed nihil omnia haec effecerunt, postridie enim saepius redierunt horripilationes magna et jam descripta pectoris oppressionem conjuncta; pulsus parvus, debilis, frequentissimus maximam virium dedolationem indicavit. Ulcus novam plane induerat formam, et difficile erat dictu, quisnam ei insit character et indoles, nihil secernens tanquam mortuum, sit venia verbo, eminentias praebuit luridas et sinuositates, margines eorumque circuitus relaxati omni turgore carebant. Ingenti denuo horrore exorto simul cum magna praecordiorum anxietate et deliriis blandis sub vesperem ejusdem diei obiit aeger.

Sectio cadaveris.

Ulcus septem fere pollicum latitudinem exaequans introrsum lineam albam, sursum ligamentum Poupartii attingens, deorsum superiorem et anteriorem superficiem femoris corripens eo jam penetraverat, ut in basi fibrae ac tendo musculi obliqui externi et fascia lata, partim granulatione laxa obducta conspicerentur. Mediae superficiei aliquid pollicem et dimidium infra ligamentum Poupartii venae cruralis anterior paries formaverat, quae tamen ichore correpta et corrosa sanguinis jacturam ante octo dies ortam effecerat. Venam hoc loco explevit coagulum flavi coloris, pollicem et dimidium deorsum lineas fere duas sursum ad-

tingens, quod exceperit aliud duas pollices sursum extensum rubrum ichore mixtum in mere sanguineum transiens. Venae saphenae magna pars, quae per ulceris basin decurrebat oblitterata reperiebatur. Omnes hae venarum mutationes inflammationi originem debebant, crassiores enim praeterea jacebant tunicae earum firmiores et interna superficies quemque deposuerat nitorem. Vena hypogastrica, cava inferior ejusque rami aequae ac arteria cruralis nihil morborum obtulerunt. Peritonaeum, quod ulceris basi prope adjacebat ne congestionis quidem signa praebuit. Glandulae inguinales emollitae erant et rubro colore tinctae.

Cavo cranii aperto cerebri meninges sanguine valde confertae et sub ipsis tunicis duae fere unciae exsudati seri aderant.

In cavo thoracis haec fere reperta sunt: pulmo sinister pleurae costali firmis et membranaceis exsudationibus inveteratis arcte adhaerebat, paulo collapsus non mutatam praebuit structuram; in dextri pulmonis superficie praesertim versus marginem superiorem in pleura costali et diaphragmatis parte, quae pleuram adspicit, exsudatum e flavo rubrum, laxum reperiebatur, sub quo pleura ubique inflammata erat. Pulmonis substantia integra, excepto lobulo superiore, qui prima inflammationis vestigia praebens multum serum continuit, hic illic imprimis in superficie jam transierat in griseum sic dictam hepatisationem, tamen luculentissime variorum stadiorum vestigia aliusque in aliud transitum scalpello persequi licebat, praeterea saccus pleurae dex-

ter duas fere libras fluidi turbidi e griseo flavi continebat. Pericardium et cor a norma recedens nihil obtulerunt. In abdomine organa integra erant.

OBSERVATIO TERTIA.

A. L., operarius, vigesimum annum agens, tumorem rheumaticum genu dextri, quem refrigeratione sibi contraxerat, ita neglexit, ut inde caries et necrosis ossium articulationem formantium exireretur, quae quum aeger in nosocomium reciperetur jam eo progressae erant, ut amputationem postularent, praesertim quum magna virium consumptio in dies augetur et fere jam in hecticam incidisset aeger. Die sexto mensis Januarii hujus anni amputatio in femoris continuitate facta est. Sanguinis jactura haud parva erat, prima intentio, quam provocare tentatum est, non effecta et post trium dierum spatium totum vulnus pure obiectum erat. Febris, quae comitabatur localem affectionem synochalem praese tulit characterem, ita, ut fortiora antiphlogistica interne adhibita essent. Vulnus ipsum paulo laxum tamen pro re nata bonum praebuit secretum. Die decimo nono postquam operatio instituta est et res jam ita bene processit, ut nonnisi ab ingenti debilitate aliquid timendum esset, subito status pejor factus. Febris vehementer aucta, horrore insignis, pulsus frequentissimus, celer, parvus; praeterea aeger de doloribus in abdomine et pectoris magna oppressionem conquerebatur. Secretio vulneris cessavit et femur oedemate correptum. Decoctum Chinae cum tinctura

Myrrhae vulnere applicatum, interne acidum muriaticum propinatum est, tamen inde nihil effectum, febris indies augebatur et die tertio postquam tantopere in pejus versa est res, obiit supremum diem aegrotus.

Sectio cadaveris.

Vena cruralis, quae non ligata erat, usque ad ligamentum Poupartii inflammatione correpta et lymphæ plastica coagulata reperiebatur impleta. Totum ossis femoris periosteum inflammatum suppurationem provocaverat, quae usque ad articulationem femoris penetrabat. Cavi abdominis organa integra erant, praeter lienem, qui magna sanguinis nigri copia valde intumuerat.

Pleura sinistra praesertim versus dorsum inflammata erat partim jam exsudato e griseo albo obiecta. Pulmo ipse in superiore lobo sanguine abundavit et partim in hepatisationem rubram mutatus, quae in superficie jam ex parte in griseam transierat, ita ut et in hoc casu lobulari inflammatione orta esset illa puris depositio. Pulmo dexter seri magnam continuit quantitatem, tamen ubique pervius erat et incisus crepitationem excitavit.

OBSERVATIO QUARTA.

C. L., nauta, firma constitutione praeditus, quinquaginta annos natus, die XIV. mensis Augusti anni praeterlapsi in Caritatis nosocomium ob erysipelas capitis phlegmonodes receptus est. Stadium febrile jam finitum erat, crustae e nigro fuscae obtinuerunt

caput et pluribus locis in suppurationem transierat telae cellulosae inflammatio, ita, ut complures incisiones ad pus removendum necessariae fierent. Ceteroquin optime se habuit aeger, exigua tantum febrilis excitatio adhibita saturatione evanuit.

Infra octo dierum spatium emollitae omnes crustae facile removeri potuerunt. Vulnere incisione exorta jam initio mensis Septembris cicatricibus obducta erant, excepto majore, quod in medio cranio duorum pollicum longitudinem exigebat. Margines ejus basi dissolvebantur et intumuerunt, secretum magis serosum, granulationes laxae albae, non multo post totum vulnus nosocomiali gangraena correptum, quae torpidum induit characterem nec magnos dolores, nec vehementem febricitationem effecit, attamen, ut et in hac forma fieri solet, ulceris ambitum celeriter valde auxit et cum adhibitis fomentationibus aromaticis et vino camphorato non cederet, ferro candente removeri debuit. Quatuor diebus postquam hoc in usum vocatum est omni gangraenoso suppuratione remoto ulceris superficies granulationibus optimis obiecta conspiciebatur. Medio in ulcere cranii exigua pars periosteo denudato erat, ita ut ossis necrosis oritura timenda esset; ipse aeger ceterum optime se habuit. Die XXII. mensis Septembris subito alacrius febricitare incipit, sanguine vehementer versus caput fluente. Ulcus ipsum eo mutatum erat, ut major ossis pars periosteo orbata et hic illic jam necrosi correpta esset. Suppuratio in circuitu optime processit pure ipso nil mutato (Hirudines decem pone aures ap-

plicatae, interne ammonium muriaticum cum nitro datum). Quum tamen per noctem nimis auferentur congestiones, deliria accederent, pupillae coarctarentur, pulsus frequentissimus fieret celer et durus, sanguinis libra missa et calomel porrectum. Remittebant mox hae inflammatoriae cerebri affectiones, tamen ex suppuratione permagna ad exfoliandum os necrosi correptum necessaria, ne facile rediret cerebri irritatio timendum erat.

Die primo mensis Octobris aegrum repente ingens horror invasit, calore ardente et magna insudatione exceptus. Sex horarum spatio finitus erat hic insultus, tamen vera intermissio non intravit, semper enim magna pulsus excitatio et sensuum obnebulatio aderat. In ipso ulcere nihil mutatum (chininum sulphuricum cum opio). Postridie paroxysmus repetitus, non quidem ita vehemens, tamen majorem etiam virium dedolationem relinquens. Nihilominus locale malum in dies meliorem accepit formam, granulatio optima obtexit ulcus usque ad margines ossis necrosi correpti. Ob ingentem virium consumptionem, quae subito intrante diarrhoea magis increvit, Moschus cum Elaeosaccharo, Cinnamonum et Opio datus est. Paulo melior reddebatur aegroti status his remediis, diarrhoea cessavit, cerebrum liberum factum est. Tamen intrabat symptomata, quod majorem affectionem ipso condici suspicionem excitavit. Tussis nempe vexare incepit aegrum sicca, cum pressionis sensu pone sternum conjuncta, quum tamen praeter respirationem celeriore nulla adessent symptomata, catarrhalis affectio, ut

saepius fit in gravioribus morbis bronchos affectisse videbatur. Leniter expectorantia data sunt. Post tres vero dies tussis majorem acquisivit vehementiam suffocationis fere insultus provocans, pulso parvo, frequentissimo et debili. Extremitates inferiores intumuerunt, deliria intrabant et mox in veram agoniam incidit aeger, quae nihil mutato ulcers habitu per duodecim fere horas perduravit et praesertim respiratione maxime oppressa excelluit.

Sectio cadaveris.

In media calvaria, in utroque osse bregmatis periosteum duorum pollicum ambitu evanuerat et necrosis utramque laminam ossis penetraverat; dura mater sanguine impleta, substantia cerebri ipsa, quae situ respondit ossi necrosi correpto lymphae plasticae granulis oblecta, substantia corticalis sanguine plena medullaris eodem loco emollita puris qualitatem praebuit, quo remoto cavum conspiciebatur, cujus parietes membrana, quae abscessibus esse solet obductae et innumeris punctis cruentis oblectae erant, ita ut cerebri abscessum fuisse appareret; cetera cerebri substantia sana.

Infra pleuram costalem et pulmonalem magna copia lymphae plasticae aderat, qua pluribus locis cohaerebant inter se; aliis locis vasa recenter formata et punctuli sanguinis initia inflammationis proventerunt. Saccus pleurae sinister purulentum continuit exsudatum; pleura ipsa gelatinosis quasi massis oblecta hic illic inflammationis varia stadia documentavit. Apex pulmonis sinistri tubercula mi-

liaria continuit, inferior lobus sanguine abundavit, in superficie maculae griseo-albidae erant, quae pure in substantiam infiltrato prodierant. Parenchyma proxime adjacens hepatisationem rubram ostendit, bronchiorum interna membrana rubre tincta et relaxata, vasa majora, cor ipsum et pericardium integra fuerunt. In dextro etiam pulmone signa inflammationis aderant, sero abundans rubram hepatisationem dispersim documentavit. In utroque pulmone illae mutationes praesertim in superficie versus dorsum et diaphragma in conspectum venerunt.

In abdominis cavo nihil abnorme inventum praeter magnam ventriculi contractionem, longiore ciborum abstinentia provocatam.

OBSERVATIO QUINTA.

Maria N. mulier robusta, quinquaginta quatuor annorum, quae semper optima gavisata erat valetudine, complicatam cruris dextri fracturam sibi contraxit, ideoque in nosocomium Caritatis die XXIII. mensis Septembris recepta est. Gangraena et sphacelus partium mollium una cum vehementi febre firmam aegrotae constitutionem ita jam invaserat, ut hectica febris instaret, et non nisi maxime infausta prognosi, quum sphacelus sisteret, et magna neque mala secretionem jam removeretur, amputatio femoris, ut unicum remedium ex quo aliquid sperandum esset, die VI. mensis Octobris perficeretur. Sanguinis demissio haud exigua intravit, et quod pejorem etiam reddidit prognosin, profluvium ex vena crurali non nisi ligatura sistendum erat. Non multo

post operationem ingenti horrore corripiebatur aegra, quem calor ardens et magna insudatio exceptit. Hic insultus initio ad magnam sanguinis jacturam referebatur, tamen jam postridie eodem fere tempore rediit et magna capitis obnebulatione et pectoris oppressionem conjungebatur. Vulnus ipsum lympham valde serosam secrevit, quae post tres fere dies ichoris naturam induit, et mox eandem praebuit speciem, quae antea vulneris osse fracto provocati fuerat, quum sphacelo correpta esset. Nullo et fortissimo denique remedio, ferrum candens dico, adhibito, alia provocari potuit secretio. Mox totum femur intumuerat, vulnus versus lividum colorem praebens. Aegra, cui, quum quotidie repeterentur insultus illi, chininum sulphuricum cum opio porrigebatur, in dies magis collabebatur, febricitatio vehementissima non desiiit, deliria eam non reliquerunt. Respiratio tantum si horror intravit, opprimebatur, ita ut in pectore malum aliquid inhaerere non suspicandum esset, quum alias nullum observaretur grave symptoma, et febricitatio quae symptomata erat, sat superque ex locali malo derivari potuit. Die undecimo mensis Octobris horrore denovo correpta supremum diem obiit aegra.

Sectio cadaveris.

Inquisitio femoris omnes partes vulnus constituentes molles sphacelo correptas ostendebat exceptis arteriis et venis. Venae cruralis tunicae valde incrassatae erant et induratae, ipsa usque ad ligamentum Poupartii exsudatum continuit lymphatico

plasticum, quod inflammationum est. Cetera pars venarum in cavo abdominis plane integra erat et sana; organa abdominis omnino in optimo statu reperiabantur. Contra alia erat res, aperto thorace. In utroque enim latere pleura costalis et pulmonalis magna copia exsudati purulenti obiecta erat, quod ex parte jam plasticam induerat naturam. Puris praeterea meri unciae fere quatuor utrumque pleurae saccum implebant. Ex parte quoque in hoc casu inflammatio non eo jam progressa erat, vasa recenter formata, reticula formantia, hic illic dispersa incipientem inflammationem documentabant. Non minus quam pleurae, pulmones quoque affecti erant. Anterior ejus pars ad sternum vergens et totus pulmo dexter integer erat, quod tamen ad dorsum spectat sinistri pulmonis magnam hyperaemiam ostendit lobularem, quam in nonnullis lobulis jam exsudationes secutae erant, unde partim rubra hepatisatio exoriebatur, partim grisea et magis jam purulenta, ita ut tota posterior pulmonis sinistri superficies maculis griseo albis tanquam inspersa esset. Pericardium cum pleura ex parte concretum. Cerebri meninges sanguine abundabant, substantia et ventriculi nullam mutationem perpessi sunt.

OBSERVATIO SEXTA.

C. K. sutor, viginti quinque annos natus robusta corporis constitutione ob panaritium pollicis sinistri in nosocomium (arthritis recipiebatur (die III. mensis Septembris). Inflammatio secundae pollicis phalangi inhaerebat et a periosteo ortum sumsisse

videbatur. Ulcus, quod jam formatum erat, necrotici formam habuit. Remedia, quae adhibebantur manserunt frustranea, inflammatio indies increvit, et ne manum perderet aeger, prima phalanx removenda erat. Die V. mensis Octobris amputatio in primae phalangis continuitate facta est. Duodecim fere horas post operationem ita intumuit truncus et doluit, ut deligatione remota, fomentationes ex aqua saturnina tepidae necessariae fierent. Jam sub finem secundi diei tota superficies magna integri puris copia obiecta fuit. Aeger, qui operationem bono animo subierat, et omnino antea bene se habuit, nunc conqueri incepit de magnis doloribus in superficie volari antibrachii et articulatione ipsa cubiti. Intumefactae erant hae partes et rubicundae. Pulsus valde excitatus, tensus, calor toti corpori superfusus, pulsationes venarum colli, et capitis dolores febrem indicabant symptomatam, quae ex majori inflammatione, quam quae pollicis inhaerebat, originem ducere debuit. Applicatae sunt viginti hirudines ad antibrachium et unguentum hydrargyri infricatum. Nominata tamen symptomata localia, aucta progrediebantur. Tumor tensus ruber, plane inflammatorius totum brachium corripuit, glandulae axillares intumuerunt, et sub muscoli pectoralis magni extensione eosdem fere persensit aeger dolores, qui in brachio erant. Versus totum igitur brachium et ad pectoris latus dolens hirudines quinquaginta applicatae, unguentum cinereum infricatum fomentationes *Rustii* impositae sunt, et quum totius corporis reactio nimia esset, ita ut et deliria intrarent, venaesectio

librae et dimidia instituta, nitrum interne propinatum. Jam insequenti die tamen eo augebantur inflammationis phaenomena, ut eadem sanguinis copia mitteretur, nitri dosis augetur. Vulnus in pollice pus secrevit, quod ad granulationes provocandas nimis fluidum erat, idque praesertim ex nimia tensione inflammatoria derivandum, quam ob rem et hic fomentationes nominatae applicabantur. Remissio hac frequenti sanguinis detractio intrabat exigua tantum, inflammatio brachii in dies aucta, ex parte in suppurationem transiit. Sub vesperem sequentis diei tantopere exacerbavit febris, ut nova iterum venaesectio necessaria fieret, et calomel porrigeretur.

Qua fortissima antiphlogosi quum symptomata inflammatoria generalia paullo remitterent, locale malum semper ingravit. Suppuratio intravit totius cellulosae brachii; in volari superficie prope manum cute perforata exortum ulcus celeriter sphacelosum induit characterem, digitus minimus quoque sphacelo corripiebatur. Consumtio virium ingens intravit, congestiones ad caput passiva deliria blanda suscitavit transitoria, anxie respiravit aeger, de doloribus in pectore prementibus conquerens. Exploratio pectoris ubique sonum respiratorium indicavit, praeter locum illum, qui externe inflammatione correptus describebatur, hic enim explorationem instituere non licuit. — Tussis non aderat. — Versus vesperem quotidie intrabant horrores cum deliriis complicati, usque ad mortem, quam die XIX. mensis Octobris obiit aeger.

Sectio cadaveris.

In disquisitione anatomica partis affectae praesertim memoratu dignae erant puris depositiones diversis manus et brachii locis. A pollice enim pus trans superficiem ulnarem et volarem ossis metacarpi intra musculos adductores pollicis, indeque intra flexorem digitorum sublimem ad volam manum depositum erat, unde exulceratio reliquis tribus digitis incolumibus, ad digitum minimum extensa, molles ejus partes ad gangraenam deduxerat, ossibus hic illic denudatis. — A vola manu suppuratio progressa infra ligamentum carpi volare, cellulosa infra flexores manus sitam plane destruxerat. In articulatione cubiti, venae superficiales pure impletae tunicam internam incrassatam, asperam praebuerunt, eo usque ubi in venam axillarem, quae et ipsa tali ratione mutata erat, transeunt. Vena subclavia et quod excurrit venarum usque ad cor ipsum plane integra erant. A cubiti articulatione suppuratio magis subcutanea reperiebatur, et totam cellulosa usque ad axillam et abhinc sub musculo pectorali minori et intercostalibus sitam corripuerat.

In cavo thoracis saccus pleurae dexter sat magna seri copia pure mixti impletus; pulmonalis hujus lateris pleura magis solido fibroso exsudato oblecta erat. — Non minus quam pleura et pulmo ipse laboravit; in tota enim ejus superficie praesertim posteriore, pneumoniae lobularis signa hic illic dispersa erant, varia in singulis lobulis observare

licuit hepatisationis stadia, quae in superficie praesertim grisea puris qualitatem induerat, interpositis pulmonum partibus liberis. — Pulmo sinister tantum solita majorem infiltrationem praebuit, excepto lobo inferiore, qui jam in rubram transgressus erat hepatisationem.

Abdominis cavum nullam ostendit organorum mutationem.

V I T A.

Ego *Carolus Fridericus Guilelmus Boeger*, die **XXIII.** mensis Junii anni **MDCCCXIII.** Berolini patre *Friderico*, matre *Carolina* e gente *Jerg*, quos dilectissimos parentes hucusque mihi incolumes servavit Deus, natus evangelicae fidei addictus sum. Literis, quae ad altiora studia viam muniunt in gymnasio Joachimico, quod tum directoribus *Cel. Snethlage* et *Cel. Meinecke* florebat, imbutus et maturitatis testimonium adeptus Instituti medico-chirurgici *Friderici Guilelmi* civibus mense Aprilis anni **MDCCCXXXI** sum adnumeratus, et per quadriennium hisce praelectionibus interfui:

Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; *Ill. Link* de botanice, historia naturali et toxicologia; *Ill. Schultze* de botanice;

Beat. Hermbstaedt et *Cel. Turte* de physice, chemia et pharmacia; *Beat. Rudolphi* et *Ill. Schlemm* de anatomia et de arte cadaverarum rite secandi; *Beat. Rudolphi* et *Cel. Eck* de physiologia et methodologia; *Ill. Lichtenstein* de zoologia; *Ill. Hufeland* de pathologia et therapia generali et speciali, et de semiotice; *Ill. Horn* de pathologia speciali, de morbis mentis, et de syphilide; *Ill. Osann* de materia medica, fontibus medicatis et de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; *Cel. Casper* de arte formulas medicas concinnandi, et de medicina forensi; *Ill. Wagner* de medicina forensi practica; *Ill. Hecker* de *Celsi* libris et *Burserii* institutionibus; *Ill. Kluge* de arte fascias applicandi, de chirurgia generali et operativa, de fracturis et luxationibus, de arte obstetricia; *Ill. Juengken* de chirurgia speciali et operativa, et de morbis oculorum; *Cel. Froriep* de anatomia chirurgica; *Ill. Bartels* et *Cel. Wolff* exercitationes clinicas medicas; *Ill. de Graefe*, *Ill. Rust*, *Cel. Dieffenbach* et *Ill. Juengken* chirurgicas frequentavi. Praeterea quoque interfui praelectionibus *Cel. Gurlt* de anatomia animalium domesticorum; *Cel. Reckleben* de zoodiaete et epizootiis, *Cel. Nau-*

mann de equorum habitu; clinicum veterinarium *Cel. Hertwig* etiam frequentavi.

Omnibus his viris honoratissimis maximas semper debebo gratias.

Quadriennio studiorum absoluto medici inferioris munus in nosocomio Caritatis suscepi, quo etiam nunc fungor. Eo peracto Postampium me conferre jussus sum, ut medici militaris apud hastatos officia persolverem.

Jam vero tentaminibus et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut summi medicinae et chirurgiae honores ex gratioso medicorum ordine mihi tribuantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Puris veras metastases existere nego.*
 2. *Vulnera puncta prima intentione sananda.*
 3. *Febres malignae nullum certum morborum genus constituunt.*
 4. *A pathologis statutum discrimen inter morbos ipsos eorumque causas proximas vero divisionis fundamento niti dubito.*
 5. *Longaeva experientia absque sanis artis principiis inutilis est.*
-